

x. Tertium. Si ita necessarius est spiritus sancti aduentus, quibus signis deprehenditur eius presentia?

Ad primum dicitur, quod simpliciter sicut trium est una essentia, una deitas, ita una operatio ad extra. Si quidem opera trinitatis ad extra sunt diuisa, secundum Augustinum in de trinitate. Et sicut tres personae unus sunt Deus, ita unus creator, unus consolator, unus reparator, unus beatificator, non tres creatores, tres iustificatores &c. Nec obstat, quod saluator dicit Ioan. 13. Roga bo patrem meum, & alium para da. vobis, quia alium in persona etiam alium ab humanitate, quam videtis, & auditis. Vnde quilibet trium ad omnia sufficit, & tamen nullus sine alio, quia nullus est sine alio, nec operatur sine alio. Nihilominus tamen attribuuntur uni personae aliqua plus, quam alteri. Sic in omnibus patri auctoritas, quia est principium totius trinitatis. Si quidem pater à nullo est, est enim principium sine principio, quo sunt filius, & spiritus sanctus. Filio attribuitur redemptio, quia ipse solus humanitatem assumpsit, licet redemptionem ipsam fecerit pater & filius, & spiritus sanctus. Spiritus sancto iustificatio & peccatorum remissio, ac interna animae consolatio, quia ipse est donum patris, quo gratificatur anima in amicitiam Dei assumpta. Nec datur donum illud, quod est gratia sine spiritu sancto. Si quidem donum est amoris ad voluntatem pertinens, & ideo spiritu sancto attribuitur.

Ad secundum dicitur, quod nequaquam presentia filii impediunt spiritum sanctum, immo sine ipso & patre non venit spiritus sanctus. Ioan. 14. Ad eum venimus &c. Sed ad litteram plenitudo spiritus sancti danda non erat visibiliter, nisi facta plena restauratione, & restitutione deperditorum, quae fuit consummata per domini ascensionem. Non ergo hoc dixit dominus, quasi hic positus mittere non potuerit spiritum sanctum. Ita enim conuersatus est in terris, vt nihilominus maneret in caelis apud patrem. i. in patre, immo & hic mit-

tere potuit. Constat siquidem superest baptismatum spiritum sanctum descendisse, & mansisse. Sed & manens in terra spiritum sanctum dedit, dum ex susflaret, & diceret, Accipite spiritum sanctum, quorum remi. &c. immo eligenda eos in discipulos. Siquis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Roma. 3. Sed ad discipulos dominus dixerat. Iam non dicam vos seruos, vos autem dixi amicos, Io. 15. Sed neque spiritus sanctus diuisibilis est, vt particulariter dari possit. Hec enim electio, & dilectio, sine gratia non fuit. Sed quia non erant dispositi in tanta plenitudine, ac donorum cumulo accipere, vt eis totius mudo sufficeret, quibus praedicare debebant. Ideo ait. Si non abiero &c. Disponerentur autem magis per corporalem Christi absentiam. Et ideo ait. Si autem abierim, mittam eum ad vos, secundum Augustinum & Bedam corporali eius affectu delectati, & conuersatione, minus curauerunt diuina eius mysteria intelligere, minus etiam in Deum amoris affectibus ferri, sed carnaliter cognouerunt, carnaliter & dilexerunt, contenti cum eo semper manere in terris. Sicut de Petro patet dicente domino, Absit à te domine. Mat. 16. dum se passurum pronunciaret, eum retrahere volens.

Item in transfiguratione Matt. 17. Domine bonum est nos hic esse. Et Thomas Vadamus, & moriamur cum illo, ita dilexerunt corporalem conuentionem, vt sine illo non delectaret viuere. Subtracta autem humana forma, iam ad celestia, quo caput suum migrasse cognouerunt, desiderio aspirabant. Non enim poterant solidum cibum, & spirituale spiritus sancti consolationem, esurire, nisi primum lacteo cibo subtracto Christi. humanitate, quo subtracto, iam spiritualia nosse coeperunt. Sicut ille, qui iam coeperat, spiritus ait. Et si secundum carnem Christum noueramus, sed iam nunc non nouimus. 2. Corin. 5. quia etiam Christi carnem iam non secundum carnem nouit, quia verbum factum carnem spiritualiter nouit. Sublato ergo domino vbi thesaurum suum esse